Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26119
Copyright: Admont, Benediktinerstift

alteri ciuitatis in alteri ecclesia primicie proficiant. Quia uero quod ad extinguenda presentem contusiam hec pauca sufficere uideantur. tamen si calumniatores uestri pertinaciter instare uoluerint. appellate iudicium metropolitani uestri et coepiscoporum uestrorum. ut secundum ordinem rerum gestarum integra salua reuerentia apostolica fieri poterit causa uestra. et accipiat finale iudicium. Vale. C.LXXXVII.

Audonio dei gratia ebroicensi episcopo. Iuo eadem gratia carnotensis ecclesie minister salutem et seruitium. Scripsit mihi dilectio uestra uos audisse a quibusdam quod dirimerem coniugia liberorum et ancillarum et econuerso. et hoc uobis uideri quod sit contra sententiam euangelicam que dicit: Non licet uiro dimittere uxorem nisi causa fornicationis. Ad quod dilectioni uestre respondemus quia contra hanc sententiam scienter nichil agimus. uel agere uolumus. Sed diuortium facimus inter liberum et ancillam non coniugium soluimus. sed contubernium male coniunctorum dissociamus. Vnde scribit leo papa rustico narbonensi episcopo. Non omnis mulier uiro iuncta uxor est. Nuptiarum quippe federa inter ingenuos sunt legitima et inter equales. Cum ergo separamus eos qui non sunt hac lege coniuncti non dicimus esse coniugium. quod non continet christi et ecclesie sacramentum. Quod minime continere uidetur illa copula uiri et mulieris. in qua non seruatur preceptum dilectionis. Non enim unum est inter eas personas una esse dilectione quarum altera alteram suo contubernio redigit in seruitutem. Cum ergo principale preceptum sit euangelicum ut diligamus inuicem et ne faciamus alteri quod nobis nolumus fieri. constat adeo non esse coniunctos qui sic potius contra preceptum euangelicum uidentur esse corporaliter sociati. nec esse unum coniugium quod contra dei legem constat esse presumptum. Quod etiam legibus seculi cautum habemus quas catholici reges composuerunt et ex auctoritate romane ecclesie catholici populi seruandas tradiderunt. Vnde in titulo ico dicitur nouellarum. Si quis per errorem ancillam mulierem duxerit uxorem liberam eam esse putans. uel econtrario. si libera mulier seruo per errorem iuncta sit. postea que uera sunt reperta fuerint. dicendum est omnino nuptias non constitisse inter liberum et ancillam. seruum et liberam mulierem nuptie contrahi non possunt. In talibus ergo contractibus quos lex dampnat non homo sed iusticia separat. quia quod contra leges presumitur. per leges dissolui meretur. Si quis autem liber ancillam in matrimonium duxerit non habebit licentiam dimittere eam. si prius scientes conditionem suam et consentientes matrimonium contraxerint. quia coniugium consensus facit non coitus. Vbi ergo bona fide coniugia contracta sunt ibi ualet quod deus coniunxit homo non separet. Et non licet uiro dimittere uxorem nisi causa fornicationis. Vbi uero humana deceptio federa nuptiarum uiciauerit. tales nup-

tias